simul cum aliis consulibus consiliis rempublicam promovere in negotiationibus. Convertimus ergo nos primo ad considerandum merces et dispositionem fontici nostri Cataloniorum, sed illo tempore nec merces nec mercatores ibi erant, nisi pauci. Est tamen fonticus curia grandis, cum multis habitaculis per circuitum, sicut monasterium. Ratio autem, quare jam nemo aderat, fuit, quia Cathaloni sunt maris piratae, et mare infestum habent, et aliquos spoliaverant, et turbaverant potentes, quos timebant, ideo non audebant, se mari illo (tempore) committere, et domus fuit vacua. Deinde de fontico Cathaloniorum exeuntes in fonticum Januensium transivimus, qui est domus ampla et pulcherrima cum curia magna, in cujus parte stat hortus diversis raris plantulis consitus. In illo fontico vidimus multos mercatores, et (cum) ingentibus cumulis specierum, et multa animalia nobis incognita ibi currebant. Egressi illum primum fonticum Venetorum ingressi sumus, quem ita repletum et refertum saccis et sportis specierum reperimus, quod vix erat locus transeundi, quamvis curia magna sit et habitacula multa. Ibi ibant octo struthiones et duo gazelli, quasi hinnuli cervorum, quorum multos per desertum vidimus. Sedebant in domo illa viri notabiles Veneti cum potentibus Sarracenis tractantes suum forum. Abinde egressi secundum fonticum majorem primo Venetorum ingressi sumus, in qua erat stupenda multitudo mercium diversarum, quas ipsi de partibus nostris attulerant, et quas reducere volebant. Ibi praeter species vidimus multa monstruosa, juvenes leunculos, leopardos, simias diversarum specierum, struthiones, et psittacos albos valde pretiosos, rubeos ex toto, et aliquos rubeos cum nigris maculis, et multos communes virides. De psittacis superius dictum fol. 73. Inter alia tamen vidimus quandam bestiam, nobis domesticam, sed Sarracenis monstruosam; deambulabat enim in curia unus porcus grossus, de quo nos multum mirabamur, quia lethalem inimicitiam habent Sarraceni ad porcos et abominantur eos, sicut Judaei, nec quovis modo sustinent secum porcos, unde per totum iter nullum (**131 a**) vidimus, nisi istum. Dictum autem fuit nobis, quod Veneti multis pecuniis emerunt salvum conductum a Soldano pro porco illo, alias Sarraceni non sinerent eum vivere, imo domum propter porcum everterent. Et transit porcus ille ibi pro quadam magnificentia dominorum Venetorum; nisi enim

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;